



**Tractatus Juridicus Ad Librum III. Decretalium Gregorii IX.
Clericorum in communi, nec non Prælatorum, ac
Capitulorum in specie obligationes, & jura complectens**

Scharz, Oddo

Salisburgi, 1738

§. I. Quid, & quotuplex sit unio? & quotupliciter illa fieri possit?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63800](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-63800)

P A R S IV.
De Unione Beneficiorum.

§. I.

Quid, & quotuplex sit unio? & quotupliciter illa fieri possit?

S U M M A R I A.

40. *Unio beneficiorum describitur, quæ alia est perpetua, alia temporalis.* 41. *Fit communiter tribus modis per confusionem, per subjectionem, sive accessionem, & per exæquationem.* 42. *Circa unionem subjectivam variis effectus panduntur.* 43. *Quid in effectu interfit, beneficia esse æqualiter unita?* 44. *Unio non præsumitur, sed probari debet, modi probandi recensentur.*

40 **U**nio, in præsenti nil aliud est, quam
beneficiorum, auctoritate Prælati
Ecclesiastici facta conjunctio. Garz.
de Benefic. part. 11. cap. 2. n. 3. Castro-
palao *tract. 13. de benefic. punt. 12. §. 1.*
num. 1. sensus hujus definitionis ex di-
cendis patebit.

Dividitur unio in *perpetuam*, &
Temporalem. Illa est, quando in instru-
mento unionis exprimitur ejus perpe-
tuitas, ut in *cap. 33. de Præbend.* vel,
quæ fit ad *perpetuam rei memoriam*, vel,
quæ fit ad *beneplacitum Sedis Apostoli-
ce*, quæ nunquam moritur, *cap. 5. de
Rescript.* in 6. vel denique, quæ fit ob
necessitatem, vel utilitatem ipsius Ec-
clesiæ, cui fit unio, *arg. cap. 1. Ne Se-
de vacante*, eò quod patiter Ecclesia
non moriatur. P. Reiffenstuel *b.t. §. 3.*
num. 37. *Unio temporalis* dicitur, quæ
fit in commodum, & ad vitam ipsius
Beneficiati, & ideo dispensatio potius,
quam *unio* dicenda est. Azor. *tom. 3.
lib. 6. cap. 28. Quæst. 17.*

Unio Beneficiorum per Gloss. in *41
cap. 48. C. 16. Q. 1.* communiter rece-
ptam tribus potissimum modis fieri so-
let. I. Ut ex duobus beneficiis fiat
unum, ita ut per hanc unionem alte-
rum alteri neutiquam subordinetur, &
tunc jura, consuetudines, & privilegia
concessa uni, competunt & alteri, & si
utriusque beneficij jura, & privilegia
plura sint, aut sibi contraria, tunc illa
retinentur, & conservantur, quæ huma-
niora, meliora, & favorabiliora appa-
rent. Panormit. ad *cap. 1. Ne Sede va-
cant.* Rebuff. in *Prax. Tract. de Unioni-
bus. Tract. 1. num. 11. & seqq.* Garz.
part. 12. cap. 2. num. 7. & 10. Exem-
plum hujus unionis habetur in *cap. 47.
C. 16. Q. 1.* ibi: *Papa duos Episcopatus
in unum redigere potest.* II. Ut una Ec-
clesia subjiciatur alteri, quo casu unita
censebitur quasi extincta, & assumet na-
turam, qualitates, & privilegia Ecclæ-
siæ principalis, cui ceu accessoria ad-
hæret. *arg. Clem. 2. de Præbend.* Rebuff.
d.l.

d. l. num. 15. Garz. num. 13. & Ecclesia, cui sit unio, dicitur *Mater*, unita verò Ecclesia filialis salutabitur. Gonzalez ad Regul. 8. Cancell. Gloss. s. 7. num. 15. Notandum autem, hanc unionem, quæ etiam *accessoria*, & *subjectiva* communiter à DD. vocatur, ita fieri oportere, ut Beneficium minus dignum uniatur magis digno, v. g. Ecclesia Parochialis alicui Præbendæ Cathedrali. cap. 6. de Præbend. in 6. cùm non deceat, ut magis dignum sit accessorium minus digni, & hæc usq; priore frequentior est, solētque fieri eo fine, ut alterum Beneficium aliàs tenuum redditum, auctiorem dotem pro congrua Beneficiati sustentatione recipiat.

43 Circa hunc uniendi modum DD. sequentes ponunt illationes I. inferunt Ecclesiam Parochialem, quæ hoc modo Canonicatui, aut dignitatii Cathedrali unita est, non inducere incompatibilitatem. Garz. part. 11. cap. 5. num. 195. II. Nec ad Canonicatum, vel Dignitatem, cui dicta Parochialis Ecclesia unio facta est, requiri ætatem 25. Annorum, sed sufficere ætatem requisitam ad ipsum Canonicatum, vel Dignitatem, modo Parochia annexa per idoneum Vicarium regatur. per cap. 30. §. qui verò de Præbend. Garz. part. 12. cap. 2. n. 26. Pasciūs in Prax. nova Episc. part. 2. cap. 5. num. 21. III. Nec in impetracione Beneficii, cui facta est unio, mentionem faciendam esse beneficii accessori, sed filius principalis, cuius collatione facta, aut possessione accepta, habeatur etiam possessio beneficii uniti. Garz. cit. loc. num. 12. Menoch. de R. J. Q. Cas. 205. num. 67. IV. Nec in provilione talis dignitatis, annexam Parochialem habentis, faciendum esse concursum à Con-

cil. Trid. præscriptum. Garz. part. 9. cap. 2. num. 193. Less. de J. & J. lib. 2. cap. 34. num. 82. V. Posse Episcopum dispensare ad tale Beneficium simplex, cui Parochiale unitum est. Steph. Gratian. Discept. forens. cap. 273. num. 47. Vide etiam Pax Jordan vol. 2. lib. 10. Tit. 32. n. 12. & seqq.

III. Uniri possunt duo beneficia 43 & que principaliter, ita, ut utrumque in suo statu maneat, qualitates, & privilegia sua retineat, proprios reditus agnoscat, & unus duntaxat utriusque sit Rector, & eapropter, dum quis ex taliter unitis beneficiis alterum impetrare vult, utriusque mentionem faciat necesse est. Garz. d. cap. 2. num. 37. & 39. Quodsi duo illa beneficia diversis Episcopis, vel Metropolitanis subsint, neuter per tallem unionem jus conferendi, vel confirmandi amittit, sed ad collationem, vel confirmationem uterque concurrent, cùm tamen ad unionem secundo modo factam sufficiat consensus Prælati majoris beneficii, quia accessorium non censetur vacare. Garz. d. l. n. 47.

Quoniam verò Ecclesiæ, vel Præ-44 bendas unire odiosum, & simul res facti est, eapropter unio non præsumitur, sed probari debet ab eo, qui factam asserit. Menoch. de Præsumpt. lib. 6. Præsumpt. 80. num. 1. Probatur autem juxta eundem Authorem, d. l. & Mard. de Probat. Conclus. 1419. per tot. nec non per Pax Jordan cit. tit. num. 21. & seqq. variis modis. I. Ex paupertate, & inopia alterius beneficii, cui facta est unio, apparente, si illa pro causa unionis allegetur. II. Ex diurnitate temporis, quo constat unionem fuisse observatam, & quidem, si adeit Titulus ad præscribendum habilis, suf-

I i 3

ficiet

siciet tempus 40. Annorum. per cap. 4. de *Præscript.* secùs tempus immemoriale per cap. 1. de *Præscript.* in 6. cùm allegans jus commune sibi in contrarium habeat. Nam de jure communi quælibet Ecclesia suum proprium, & distinctionem Rectorem habere debet. per c. 15. de *Præbend.* III. Etiam probatur unio ex instrumentis antiquis, quia verba enuntiativa in ejusmodi instrumentis habent vim *fame*, quæ in antiquis plenè probat. IV. Eo casu, quo quis petit separationem beneficiorum, concludenter probatur unio per confessionem ejus, qui petit separationem. Sicut, qui petit *divortium*, fatetur *Matrimonium*. Cæterùm si dubitetur, an unio

Beneficiorum accessoriè, vel æque principaliter facta sit, juxta suprà allegatos Authores, hoc dubium taliter submoveti, & resolvi potest. Si unum beneficium evidenter appareat dignius altero, aut si ex antiquis, iisque authenticis scripturis constet, alterutrum fuisse principale denominatum, unio præsumitur fuisse accessoriè facta. Item ex residentia in altero, & ex fama id conjici potest, ubi vero non appareat alterum altero esse dignius, nec consuetudo, aut antedicta conjecturæ alterius præ altero eminentiam manifestantur, utrumque beneficium æque principaliiter fuisse unitum præsumendum est. Ita dd. AA.

§. II.

Quibus competat facultas uniendi beneficia? Et ex quibus causis ea uniri possint?

S U M M A R I A.

- 45. *Unire posse beneficia S. Pontificem, extra dubium est.* 46. *Quam potestatem etiam in Episcopo agnoscimus, limitate tamen, ut ne reservata S. Pontifici uniat,*
- 47. *Item in Legato à latere.* 48. *Duae oppositiones annibilantur.* 49. *Non etiam hæc facultas competit aliis Prelatis inferioribus.* 50. *Ut unio beneficiorum subsistat, causa vel necessitatis, vel utilitatis adesse debet, & que illa?*
- 51. *Item vocandi quoque sunt illi, quorum interest.* 52. *Debet insuper accedere consensus Capituli.* 53. *Unionem rursus dissolvere possunt illi, qui univerunt.*

45. **A**N S. Pontifex possit unire beneficia, frustrà quæsieris, habet enim is plenariam in omnibus beneficiis majoribus, & inferioribus disponendi facultatem per eap. 2. de *Præbend.* in 6. & Clem. 1. §. fin. Ut lite pendente Eccl. præprimis autem potestas uniendi Episcopatus privativè competit Papa. cap. 8. de *Excess. Prælat.* cap. 47.

C. 16. Q. 1. Num vero facultas uniendi beneficia inferiora ecompetat Episcopis, Legatis, Capitulis Eccl. de hoc dubitari potest.

Dico igitur I. Episcopus, spectato 46 jure communi, potest ex rationabilibus causis, aliisque requisitis concurrentibus, unire beneficia suæ Dioecesis, modo illa non sint exempta, aut S. Pontifici